

Pasquilli

dc

concilio Mantuanio

Mbb. 62.

Mb. 62.

PASQVILLI
DE CONCILIO MAN=

tuano Iudicium.

QVERIMONIA PAPI=

starum ad Legatum Pon=

tificium in comicijs

Schmalcaldianis.

Mantua ue miseric nimium uicina Papistis.

MDXXXVII

1887/88:1060

S. THYRIGETA GER. MANIÆ SALVTEM.

Ausonijs pulsus nuper Pasquillus ab oris
Cogitur externas exul adire plagas
Caussa fugæ est Lacijs culpam taxisse Bahalij.
Caussa fugæ est dirum non tacuisse scelus.
Scilicet, infandæ quod culpet crimina Romæ,
Amplius huic Lacio est nullus in orbe locus
Inclita suscipito Germania, uera monentem
Ad te qui lingua non simulante uenit
Vera tibi loquitur, credas rogo uera loquenti
Huncq; tuum uatem, si sapis, esse sine.
Fallor an insurgis, iustas an colligis iras
Dum Papæ tremulo perlegis ore dolos
Surge animis, contraq; ausis maioribus ito
Stulta, quid es Lacijs fabula trita dolis ?
Semper ad huc iniicta tuos cū straueris hostes
Quid iuuat hic uires non ualuisse tuas ?
Sed neq; te cōtra prius arma capessere phas est
Quæ mouet indignos, ultio iusta mouet.
Quod facis, iniictū, q̄tū potes, adsere VERBUM
Quæq; Deo acceptos nos facit esse, FIDEM
Hanc tibi, quod cupiunt, si substraxisse studebūt
Iusta lacesito prælia Marte gere,
His tibi posse mori pulchrū succurrat in armis
In Christo, uita est cœlica, posse mori.



PASQVILLI DE CON cilio Mantuano iudici=

um.

GERMANVS. PASQVILLVS.



ERMAMVS , HEVS
Pasquelle , Quo prope= ras ? quid festinas ? quid tecum mussas ? PAS.
puto nihil in hac Vrbe sani esse reliquum, Deli= rat Papa. Insanit ordo Cardinalius, E ma= nia laborant Episcopi , Furor & amentia perciti sunt sacrificcs, Elleboro egent Mona= chi. Breuiter, Totus ille grex, Papæ qui sequi tur imperium , insanus est. GER. Heus inq Pasquelle , Audin ? An surdus es ?
PAS. Ecquis me uocat ? GER. Ego ue= ro te uoco. PAS. Oh Germane, tu ne hic aderas ? Non te profecto uideram. GER. Credo, sed quid tecum stomacharis ? Subira= tior mihi uideris, ac soles. PAS. Stoma= chor, Cur enim negem quod uerissimum est ?

A 2 sed ob

Sed ob causas iustissimas, Imo abiturus hinc
sum propediem. GER. Cur istuc?

PAS. Propter Curiæ insaniam, quam tam
men ferre possem, si non cum summa esset
coniuncta malicia. GER. Atqui ego Ro-
mam non arbitror descrere posse tc. Quod
si obfirmato animo abiturus etiam hinc essem,
tamen nescio an libertate ac præsentia tua
urbs hæc carcere possit, nisi forte, ut quidlibet
posthac audeant Romanistæ, permissurus es.

PAS. Quod quidlibet scelerata hæc fex &
audeat & ausura in posterum sit, saepe indo-
lui. Interdum etiam peccandi in nebulonibus
istis licentiam, liberius aliquanto insectatus
sum. Sed quid tandem facias, si recta monenti
obtemperet nemo? Video stulticiam & in-
saniam istorum, adcoq; inueteratum hoc ma-
lum sanari non posse, quantumuis obiurges
& increpes. GER. Quod nam malum?

PAS. Miror id cur interroges, quum om-
nia huius urbis mala, non aliter atq; tuos ar-
ticulos, comperta habeas. GER. Si in
genere dicas, scio sentimam & Camerinam
malorum esse in hac urbe omnium. Sed ta-
men aut ego fallor augurio aut tu peculiare
aliquid

aliquid malum iam incusabas. PAS. Non omnino falsus es. Quod enim atrocius in urbe malum, quæ maior uel insania, uel malitia, excogitari potest, atq; agnitam ueritatem, et impugnare et persequi? GER. Istuc igitur Romanenses, maiori studio ac antehac, facturos subodoratus es? PAS. Vtimam falso hic incusarentur. Ipse hodie audiui, quid de novo moliantur, Adcoq; quale consilium, de Euangelico negotio opprimendo, inicrint. GER. Truculentum ne?

PAS. Quicquid hisce in rebus consultarunt hactenus, truculentum fuit et sanguinarium, sed quæ nunc decruerunt truculentissima sunt. GER. Dij meliora. Sed quid tandem beluae istæ potuerunt decernere? Sæpe audiui, Malum consilium, consultori pessimum esse, id quod istis quoq; cœnturum arbitror. PAS. Vident hypocrisim suam detectā. Vidēt detractā esse fucis suis, quibus uulgo imponebant, laruam. Vident de tyrannie, deq; regno suo actū esse. Vident Lutheranum dogma, quo nomine Euangelicam doctrinā dignantur, latius propagatum esse, qua m quod opprimenti facile possit. Statuerunt igitur

A 3 extrema

extrema tandem experiri. GER. For= san iuxta illud. Vna salus uictis, nullam spe= rare salutem. Sed qua nam ratione Germanos meos adorientur? PAS. Manifesta uis principio non adhibebitur. GER. Quid igitur? Concilium cogent generale. GER. serio ne? PAS. Nihil minus. Ne= q; enim magnopere pertinere ad se arbitran= tur, siue pejsum cat Christiana religio, siue propagetur, modo, et ipsi uiuant suauiter et habeantur in pretio. GER. In pretio autem? Atqui trucidari Germanorum gens citius sustinebit, q; istam colluuicem, ni re= sipiscat, apud suos in pretio haberet. Ita mihi eius gentis mores perspecti sunt. PAS. No runt hoc et Romanenses mei. Interim tamen hoc consilio cogent synodum, ut si cocat, id quod tamen non cupiunt, uel in uniuersum Lu theranos opprimant, uel saltem a reliquis nationibus, hoc doctrinæ genus arceant.

GER. Istuc quo pacto fieri possit, non ui= deo. PAS. Non uides? Aut enim ueni= ent Lutherani ad conciliabulum istud (ha lapsus sum, Concilium dicturus eram) aut non uenient. Si nenerint, inaudita caus= fa,

ſa, indefenſi, absq; ulla cauſſe cognitione
damnabuntur, proſcindentur & proſcriben=‐
tur. Erit enim & accuſator & iudex Papa.
Si non uenerint, iam cauſſam ſe & occasio‐‐
nem habituros exiſtimant, Cæſaris ut in illos
arment potentiam. GER. Duras Ger‐‐
manorum mcorum partes prædicas. Sed ita‐‐
ne perfidos futuros putas, etiam ſi uenturis fi‐‐
dem dent? PAS. Hac de re dubitare nul‐‐
lus debes. Neq; enim fruſtra statuerunt ante‐‐
hac, Hæreticis quidem fidem dandam, ſed ta‐‐
men ſeruandam non eſſe. Quia in re ſi exem‐‐
plum quæris, indigniſſimam Ioannis Hus‐‐
mortem, in memoriam reuocabis. GER.
Atqui ſi in Germania cogetur Synodus, haud
ita facile damnari, inaudita ac indefenſa‐‐
cauſſa, ſuſtinebunt. PAS. Scio, ſed huius
rei gratia locus ei negotio, in Italia destina‐‐
tus eſt. GER. Vbi nam? PAS. Man‐‐
tue. GER. Ha ha ha. PAS. Quid
rides? GER. Mirum in hoc agunt Ro‐‐
manistæ, quod lupum quondam feciſſe ferunt,
cum aucařū gregem in ſyluam, ueluti ad amœ‐‐
niſſima pascua, inuitaret. PAS. Qui ali‐‐
ud agere illos arbitrantur, falluntur. GER.

A 4

Quid

Quid ergo si magnitudine periculorum de-
territi Lutherani, non compareant? PAS.
Ibi tum Cæsarem armare in illos, quemadmo-
dum antea dixi, conabuntur. GER. Ego
uero imperatoris clementiam maiorem esse
puto, quam quæ se facile in sanguinem in-
noxium armari passura sit. PAS. Quod
ad personam illius adtinet, propensior in
Germanicam gentem est, quam qui arma con-
tra illos facile sumpturus sit. Interim fecem
quandam à latere habet, mitratorum, Sacer-
dotum, & Cuculionum, qui ut Germanici san-
guinis sunt sicutientissimi, ita non prius facesse
negotium illi cessabunt, quam armatum & ac-
censum uidcant in illorum pernitiem. GER.
Deus istis pestibus malefaciat. Quid autem si
Cæsaris animum alio inclinet Dominus? Ne
q; enim falsum est istud. Cor regis in manu
Domini, & quocunq; uoluerit, impellet il-
lud. PAS. Evidem non dubito, quin ijs,
quorum & potior & melior est caussa, præ-
sentaneo auxilio adfuturus sit Dominus. Sed
audio apud Germanos quoq; interdum, quan-
tumuis Euangelicos, multa designari, quæ iu-
re culpari queant. GER. Quod ad ui-
tae

et innocentiam adtinct, defendere omnes non possum. Hærent enim quædam adhuc ibi uitia, præsertim conessationes & compotationes, à quibus merito, utpote Euangeliū professi, abstinere debebant. Interim tamen sic adfecti sunt, ut & obiurgari se patiantur, & obiurgati fere in uiam redeant. Quare spacio hac quoq; in caussa officium facturos.

PAS. Quid? Obiurgari sustinent Germani? Atqui ego gentem pertinacissimam, & dicto minus audientem esse audiui. GER.

Si in loco, in tempore moneatur, obiurgeatur, tantum abest ut id facienti succenseat, ut etiam pretium ijs sit, qui delinquentibus mederi pro delicti ratione norunt. Si uero in tempestiuſ obiurgatoris, iam facile incandescere solet, & pugnis tamen interim, nisi plus æquo importunus sis, temperans. PAS.

Laturam igitur putas Pasquilli, si tecum migreret, libertatem?

GER. Quid ni?

PAS. Reddidisti animum, planè enim ignorabam, quó nam potissimum hinc abiturus concederem. GER. Quibus autem potissimum de cauſis Romam deserturus es?

PAS. Cauſatus antehac sum curiæ, curiæ au-

tem? imo totius urbis, cum insaniam tum ma
litiam. Huc duæ aliæ cauſſæ accedunt.

GER. Iamdudum expecto, quid dicturus
sis. PAS. Principio non te clam est, sce
lerum ac flagitorum omnium, neq; finem
neq; modum hic esse. Ut interim de falsissima
doctrina taceam. Quæ omnia magna cum
libertate hactenus insectatus sum, idq; impu
ne. Iam uero cum me ob nimiam linguae li
bertatem pro Lutherano habere incipient, ita
ut uitæ quoq; meæ insidentur, malo ad alios
concedere, quam manifesto periculo diutius
me exponere. GER. Digna me hercle
cauſſa, quæq; merito te, ut alio migres, com
moucat. PAS. Audi iam nunc alteram.
Scim quid olim accederit Sodomæ & Gomor
ræ? Designabantur ibi uix credibilia facino
ra. Quas ob cauſſas cum ſæpius increpiti a
Lothro, refipiscere tamen dēsignarentur, cor
pore tandem & anima perierunt. Talem Ro
manæ quoq; urbis exitum futurum timeo.
Vsqueadco nullū flagitorum, nullum libidinis
genus eſt, quo non ſpurcissima hæc urbs com
maculata fit. Taceo uulgaria illa criminis,
quorum tantus eſt numerus, ut etiam a male
feriato

feriato, intra octiduum numerari uix que= ant. GER. Digna & hæc cauſſa eſt, cur abeas. Sed qualis tandem eſt, sanctissimus ille noster, cuius autoritate Synodus cogenda eſt? Neq; enim dubito quin ſcilicet bonus uir ſit, qui neglectis tot ac tantis Romæ ſceleri= bus, de reformanda, hoc eſt, opprimenda, germanorum gente inierit conſilium. PAS. Fucum facere hominibus, hic quoq; decrcuit. GER. Quo nam pacto. PAS. Pub= licum ſcriptum aediturus eſt, quod Romanæ Curiæ reformationem pollicetur orbi, idq; in ſpeciem tantum. Putant enim hac quoq; ratione & Lutheranorum cauſſam grauari poſſe, & ſuam apud Imperatorem, tanto me= liorem fore. GER. Næ tu mihi in san= ctissimo iſto patre, magnum nebulonem dc= pingis. PAS. Id uero tum dices, ſi qui= bus artibus, principio ad Cardinalitiam, dc= inde ad Pontificiam dignitatem conſcenderit, audias. GER. Scio Italos ad id genus dignitates, interdum prece interdum pretio conſcendere. Nescio tamen an ei, qui iam sanctissimi locum obtinet, impingi nota hæc poſſit. PAS. Non potest, fœdiori enim medio

medio ad id culmen cucullus est, ut dicitur.

GER. fœdioris? Quo nam obsecro?

PAS. Sororem habuit, cum Iulius Secundus
rērum potiretur, formosissimam. In eam
quum bellator ille Papa uehementissime de= periret, neq; spes esset, parentibus eandem
solicite admodum obseruantibus, optatis am= plexibus frui posse, Paulum hunc, qui iam
Sanctissimi titulo se uenditat, ita expugna= uit, ut facienti sororis copiam, Cardinaliti= um galerum polliceretur. GER. Quid
ais? Sororem propriam Papa hodiernus pro= stituit? Hacq; uia ad Cardinalitiam dignita= tem gradum fecit? PAS. Sic est nisi me
fallunt Itali. GER. Lenonem hunc esse
oportuit, non Papam. Sed quibus artibus po= stea ad Pontificiam dignitatem peruenit?

PAS. Quamq; dissimilis uocatio sit, tamen
dubium non est, quin hæc quoq; Romanensis,
hoc est, pessima & fœdissima fuerit. GER.
Quis igitur tali belua, Synodum dolo malo,
perfidia, ac fraude cogenti, uel parere uel ob= temperare queat? Aut quæ spes est, tot flagi= tijs, tot criminibus obrutos Italos, ea quæ ē re
Christianorū sunt, aut uelle aut posse facere?

PAS.

PAS. Hoc certum est, si synodus coeat, id
quod tamen ne ipsi quidem cupiunt serio, non
Christi, non religionis, non pietatis, non rei= publicæ Christianæ, sed suum negotium actu= ros. GER. Quid igitur facto opus est?
PAS. Comitia ijs qui à Romana seruitute de= sciucrunt, breui Schmalkaldiæ celebrabunt,
ut audio (Neq; enim quicq; Lutherani agunt,
quod non huc statim ab Episcopis Germa= niæ transscribatur) eō legatum Pontifex quo= q; mittet. Quod si ibi edentuli tum Germani
fuerint, inq; Pontificiæ fraudis nassam pellici
sustinuerint, illicet, perierunt. GER. Quem
uero mittet? PAS. Paulum Fortzium,
hominem confidentem, auarum, hypocritam,
indoctum, rubicundum, autoritate Simonis
& Iudæ Episcopum, & quod ad Italicissi= mos suos mores, ceu auctarij uice adiecit, po= torem strenuum. GER. Certe quantum
ex uerbis tuis conijcio, uel conciliabulum crit
perditissimorum hominum, concilium istud
(si coierit tamen) uel serio nunq; hac de re
apud Papistas consultatum esse, palam fiet.
PAS. Romanistæ mores suos, flagitia ac ty= rannidem, non exuent, siue coeat Synodus,
siue

siue non coeat. Proinde operam dent Germani, ut ad id doctrinæ genus, quod aduersus Papam tueruntur ac profitentur, uitam ac mares componant, Dcum pro auxilio iugiter implorent, cætera dein securi. Neq; enim est consilium aduersus Dominum. Et ita Papatus debilitatus est, quantumuis istuc aduersarij uestri dissimulent, ut instaurari uix possit.

GER. Facient indubie quicquid professione sua digni esse, & audierint & iudicarint,

Sed quid nunc incepimus? Diutius hic

subsistemus, an secus? PAS. In

pedes nos coniscimus, ad germanos

profecturi, apud quos

uera dicentibus & locus

& præmium est.

FINIS.

QVERIMO-
NIA PAPISTARVM
ad legatum Pontificium in
comicijs Schmalcaldianis
conscripta, qua etiam ostendit
ur, qua ratione deplo-
ratis sacrificorum rebus
succurri possit.

*Illa dics tandem niueis signanda lapillis
Optatum nobis sustulit orta iubar,
Qua Pater amissos restauraturus honores
Ad nos, sic fati lege iubente, uenis.
Aspice sit quantis Ecclesia nostra procellis
Obruta, quamq; sua mole laboret onus,
Aspice nostrarum scriem, pater optime, rerū.
Hei facinus, non est qui fuit ante status,
Totius ante sumus dominati uiribus orbis
Omnia sub nostra quum ditione forent
Cū daret argentū nobis rude vulgus et aurū
Non aliquis nostro ditior ordo fuit*
Magna

Magna etiam monuit capit is reuerentia ras̄i
Flechteret ut nobis obuia turba genu
Hoc meminisse iuuat, s̄epe est meminisse uolup
Quoq; cares cius mentio s̄epe iuuat (tas
Non nos audebant magni reprehendere reges
Reptabant summi sub iuga nostra duces,
Dura magis nostri mctuebant uincula Banni
Quam pice Tartarei stagna referta Dei,
Nunc iacet ♂ Bannus, iacet ♂ turbata potē
Nosq; iocis uulgi Fabula trita sumus, (tas
Exturbata iacent templis idola Dcorum
Nec suus est aris qui fuit ante decor,
Nō aliqua accipimus pro lectis præmia Missis
Vix unde hoc miserū corpus alamus, adest
Ante etiam lucrum pietas simulata ferebat
Eheu nunc gratis cogimur esse pij,
Rusticus hoc factus peruerso cautior æuo
Iam reditus nobis quos dedit ante , negat
Iam tria si quis habet soliti festercia census
Hunc Plutona ipsum turba maligna uocat
Quacūq; ingredimur digito mōstramur, et hic
Asser tor Papæ plurima lingua sonat (est
Iāq; (infandū) aliquis s̄iciactat ad æthera uoces
Dum uertit duram curuus arator humum
Papa

Papa uale, exorto redijt diuina Luthero
Quæ fuit ante operum nube sepulta, fides
Is primum uidit sinc sensu uiuere Papam
Et lcuibus nugis nostra perire bona
Vidit & accepto uendi numismate cœlum
Et claudi regni sponte patentis iter
Hinc illustratus diuini lumine uerbi
Fregit nequitias impia Roma tuas,
Quas dum diuersas scriptis uulgauit in oras
Occlusæ reserans molle salutis iter
Ante nigra cæcam prætexens sindone frontem
Theutonis ora oculos ccepit habere duos.
Hoc sapiente ergo, resipit Germania, tandem
Excutiens duro libera colla iugo,
Et dæcta iacet Romæ fraus omnis, & ingens
Gloria Pontificum nocte sepulta iacet
Multa tamen restant prisca uestigia fraudis
Tota nec est monstris perdita Roma suis.
Surgat & arripiat iusti Deus arma furoris
Quid faciem spectant impia turba Dei?
In nos Romani sunt impia turba Papistæ
Qui lacerant lingua conuiciante Deum.
Qui nostras falso seducunt dogmate mentes
Dum nimis infraudes credula turba sumus.

B Cedant

Cedant Romanæ mendacia friuola Seclæ
SOLA DEO ACCEPTOS NOS FACIT ESSE FIDES.
Talibus atq; alijs nostræ clamoribus aures
Omnibus hic resonant nocte dieq; locis
Plura quid? ah quātis miseri iacltemur in undis
Saxa etiam ni sint surda dolere putas.
At cum uenturum nostras te rumor in oras
Nunciet, à curis corda leuata sumus
Tantaq; concipimus non falso gaudia corde,
Quanta sub aduentum filia matris habet,
Tu mater potes esse tuis, defende clientes
In tua qui faciles nuncia iussa sumus.
Sed non ista sacer terret fera pectora Bannus
Nec consecratæ cum sale numen aquæ
Quam patet in uarios late Germania tractus
Ista nihil præter nomen inane sonant.
Longe alia agredienda uia est, crūpere tadē
Vltio nostra queat qua ratione, tenes.
Cum tibi Romanæ data sit commissio scdis
Concilium Domini numine coge tui.
Utere mandatis, Mantoam querere terram
Quam lauat irriguo Myntius amne, iube.
Cū bene simplicitas uobis se Theutona credet
Vindictæ cauſsam resq; locusq; dabunt

Tunc

Tūc explere iuuet male pressos hactenus ausus
Inueniat finem nostra querela suum
Non Italæ cessent artes, non colchidos herbæ
Non homines quidquid perdere posse putas.
In sua, captiuos cum septa cocgerit hostes
Tunc peragat iusti Papa furoris opus
Tunc Petri rigidum mutetur clavis in ensim
Sit baculum armatæ Pelias hasta manus
Sic nos amissum rursus repetemus honorem
Et dabitur nobis quod fuit ante decus.
O utinam roseo fulgens Pallantias ortu
Hanc nobis læto proferat ore diem
Interea assiduis onerabimus æthera uotis
Annuet in nostras cœlica turba preces
Omnes pro nobis Sanctos, & Martyras oēs
Supplicibus uolumus sollicitare sonis
Audict in primis cœlestis ianitor aulæ
In dubijs cuius cimba uagatur aquis
Aduersosq; suis prosternet clauibus hostes.
Nobis recludens limina celsa poli.
Sæcte Petre, ad Mariā pro nobis omnibus ora
Inueniet pœnas sic noua secta suas.

FINIS.

B 2

Laus

LAVS ROMANI PON
tificis. Scripta ad placitum
Romanæ curiæ per uenerabilem dominum
Doctorem Ioannem Cochleum, Thetonicum
Doctor Rotzloßel, Et Georgium V Vicelli=um
cognomento, Meister Lugenmaul, Ro=manæ Ecclesiæ propugnatores egr=giros.

Pauperibus sua dat gratis nec munera curat
Curia Papalis quod modo percipimus
Laus tua nō tua fraue, Virtus nō copia rerū
Scandere te fecit, hoc Decus eximum
Conditio tua sit stabilis nec tempore paruo
Viuere te faciat hic Deus omnipotens.

QVOS VERSICVLOS
pessimus quidam hæreticus,
Lutheranus, iuuenilis fortassis Poeta VVit=tembergensis, ita de uerbo ad uerbum
inuerit.

Percipimus modo quod Papalis curia curat
Munera, nec gratis dat sua pauperibus
Eximum

Eximum decus hoc fecit te scandere rerum
Copia, non uirtus, fraus tua, nō tua laus.
Omnipotens Deus hic faciat te uiuere paruo
Tempore, nec stabilis sit tua conditio.

QVIDAM ETIAM LV
theranus uersifex, hoc me=

trum fecit in scandalum
uestræ Romanæ pa=

ternitatis.

Quotidie immodico quū sis madefactus iacho
Quā male nomē aquæ præsul Aquēsis habes.

FECIT ET HAEC SE=

quentia.

ROMA PAPA
R adix P ater
O mnium A uariciæ
M alorum Præsens
A uaricia Antichristus.

Cara

CARDINALIS. MONACHVS.

Cæsari	M orum
A dulans	O ppressor,
R eges	N equiciæ
D istrahens	A mator,
I nsignis	C hristi
N ebulo	H ostis.
A uthor	V eritatis
L ibidinis,	S imulator.
I ncestuosus	
S cortator.	

PAPISTAE.

P lutonis
A lumni
P estiferi
I nsidiatores
S erui
T artari
A Eternæ.

HÆC OMNIA VESTRE PATERNI

tati, ideo legenda cum querela nostra transmisimus ut uideatis quod Lutherani non solum nos, qui sumus inferioris ordinis, sed & (proh facinus) ipsum met sanctissimum nostrum, totius orbis luminare magnum, Pontificem scilicet, uexent & irrideant. Velitis sensibus hoc imis, res non est parua, reponere.

Quare commendamus nos omnes uestræ paternitati, & petimus ut nobis rescribere uelitis (Sed cum certo nuncio, quem Lutherani non possint deprehendere) quid apud uos Romæ de edicto concilio, in perniciem Lutheranorum ex consiliorum uestrorum decretis statuatur. Bene ualeatis in nomine sancti Petri,
Qui ut Malchæ auriculam fortiter amputauit, Sic singulis Lutheranis non solum auriculas, sed & nasum, os, oculos, caput & culum, abscindat, pedibus conterat & canibus projiciat, Ut extirpentur qui nobis cœli portas suæ doctrinæ nouitatem eripiunt, quas tot saecula in nostra potestate habuimus, & nemini nisi qui daret pecuniam unde resarciri possint si quando multitudine ingredientium infringarentur, intrare concessimus. Sed iterum ualete & agite nostram caussam.

D. Ioannes Cochleus Rotzloffel &
Georgius VVicelius Lugenmaul. ss


**Impressum Romæ in porta
Angelorum.**

M. D. XXXVIL

Ji 3377

(A 2212720)

nr.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
3/Color

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



PASQVILLI
DE CONCILIO MAN-
tuano Iudicium.

QVERIMONIA PAPI-
starum ad Legatum Pon-
tificium in comicijs
Schmalkaldianis.

Mantua uæ miscris nimium uicina Papistis.

MDXXXVII

1887/88:1060